

Propheta ait: (Psal. 117.) *Vox exultationis et salutis in tabernaculis iustorum.* (Psal. 149.) *Tunc enim exultabunt sancti in gloria, letabuntur in cubilibus suis.* Tunc quidem exultabunt, quia tunc Deum plene ex toto corde, & ex tota mente, & ex tota anima, & ex totis viribus diligunt. Tunc tam effusa erit in eis letitia, ut ex toto corpore & corde latentur. Tunc Deus beatos omnes sic adimplebit letitia cum vultu suo, ut nulla sit corporis pars, quae non gessit letitia, nulla etiam animae vis aut portio, quae non ebulliat gaudio & exultatione. *Tunc duplicia in terra illa possidebunt.* (Esa. 61.) *Duplicia quidem possidebunt, quia corpore simul & corde letabuntur.* Sed haec in terra sua illis contingent, in qua exultant, non in peregrinatione ista, in qua a terra sua exultant. In gloria quidem exultabunt plene sancti. In hoc autem mundo aliqui sanctorum exultant in Domino, quamvis non ita plena letitia quemadmodum in gloria. Nam virgo gloriosa cum intra uterum suum, filium Dei hominem factum se gestare certo cognovit, praenimia letitia caecinit, dicens: *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Merito quidem exultavit, quae tantam habuit exultationis occasionem. Nam videbat iam humanae redemptionis initia. Cernebat se ex ancilla Domini factam sponsam Dei patris, ex virgine matrem, tali temperamento factam, ut ad matris dignitatem ascendens, virgineam pudicitiam non amiserit. Conspiciebat se ad tam sublime dignitatis fastigium exaltatam, ut certo sciret ab omnibus generationibus beatam praedicandam. Sciebat enim se Dei & hominis matrem, per quem omnibus hominibus erat salus restituenda, & via ad caelestem patriam pendenda. Merito ergo exultat spiritus virginis in Deo salutari suo, hoc est, in Dei filio facto homine. Nam ille solus fuit salutare nostrum, qui solus pro hominibus moriens, morte sua operatus est salutare in medio terrae. *Talem letitiam in Deo capiebat David, qui alibi ait: (Psal. 34.) Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari suo.* Alii letantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Alii letantur super multis divitiis suis. Alii exultant ad ruinam inimicorum suorum. Alii eo quod invenerint spolia multa. *Anima autem mea (inquit David) exultabit in Domino, & delectabitur in salutari suo.* Olim cum eram peccatis irretitus, cum indulgebam delictis, & effrenatus curriebam post illas, exultabam in peccatis meis, & delectabar in illis; nunc autem, Deo miserante, sapientior factus, peccata mea cognovi, & amara esse coeperunt, quae cordi meo (tamquam pallato infecto) male dulcia prius fuerant. Et ob hanc causam jam non in illis exulto, sed diebus ac noctibus in illis lugeo. Nihil est jam quod me exultare faciat, nisi solus Deus. Postquam enim illius bonitatem & suavitatem vel summis labiis gustare coepi, omnia alia insipida, & amara esse coeperunt. Ac propterea dico, quod deinceps anima mea exultabit in Domino, & delectabitur in salutari suo. Exultabit in Domino, quoties illius immensae bonitatis recordabor, quoties in mentem venerit quanta & qualis mihi praestitit beneficentia, quomodo me peccantem sustinuit, quo pacto per suum Prophetam me ad poenitentiam mutavit, quam benigne me poenitentem recepit, receptum denique quam magnifice & liberaliter tractavit. Quoties horum recordabor (recordabor autem semper) toties anima mea exultabit in Domino, & delectabitur in salutari suo. Haec David. Et propter hanc causam nunc jam peccati remissione accepta, Deum alloquens, ait: *Exultatio mea.* Ac si diceret. In te solum gaudeo, tu solus mihi es causa letitiae & exultationis. Nam exultatio mea dixit pro eo, quod est

materia & causa exultationis meae. Sicut enim alibi etiam dixit: (Psal. 90.) *Tu es spes mea,* hoc est, scopus, in quem omnis spes mea tendit, quia in te solum confido. Ita etiam nunc ait: *Exultatio mea,* hoc est, causa exultationis meae. Quibus verbis vim & impotentiam sui erga Deum amoris ostendit, ut vel si illius animus demulceret, & placabiliorem ad petitionem redderet. Consideratis petitionis exordium, attendite obsecro iam petitionem ipsam. *Erue me,* inquit, *à circumdantibus me.* Non peccata praeterita sibi remittit, sed à futuris, in quae labi poterat, liberari. Nam de praeteritorum remissione iam securus erat, qui superius dixerat: *Tu remisisti impietatem peccati mei.* Ideo nunc non dicit, miserere mei, aut suscita me, sicut alias, sed ait: *Erue me à circumdantibus me.* Qui ab uno periculo liberatus fuerat, prospicit multa alia non minora pericula sibi imminere, quibus resistere, cum se impotentem agnoscat, ad divinum auxilium gembundus confugit, dicens: *Exultatio mea erue me à circumdantibus me.* Exultat ergo de peccati praeteriti remissione; gemit propter metum imminenti periculi, timens, ne in peccatum relabi contingat. Exultat, quia de priori evasit periculo, gemit, quia timet ne succumbat in alio. Sic etiam omnem poenitentem facere oportet, ut sic de praeteritorum poenitentia exuliet, ut non sit tutus & sine trepidatione futurorum. Qui navigant mare, & sciunt pericula ejus, & si exultant cum vident se scyllam evasisse, timent tamen cum sciunt sibi superesse charybdim, ac proinde nunquam est illis vera & perfecta exultatio, quousque pervenerint ad portum. Qui etiam sunt in belli conspectu, cum unum aliquem prostraverint hostem, letabundi exultant, non tamen sine metu & trepidatione, quia vident adhuc hostes superesse, quos merito timere oportet. Quamdiu in hoc mundo versamur, quasi in quodam continuo certamine sumus. *Militia (inquit Job cap. 7.) est vita hominis super terram.* Et in hac militia non est nobis collocatio dumtaxat adversus carnem & sanguinem, sed etiam adversus Principes mundi hujus, & rectores tenebrarum harum, adversus vitia & peccata, & daemones illorum Principum. Qui in hoc certamine unum aut alterum vitium prostraverit, merito poterit exultare in Domino, sic tamen, ut sciat se posse ab illo, aut à quovis alio iterum vinci. Quapropter quamdiu tempus hujus certaminis durat, semper divinum oportet implorare auxilium, ut nobis lapsis opem ferat adversus hostes nostros, quos sine illius auxilio minime superare poterimus. Sit nobis exemplar Rex David, qui de adulterio & homicidio, quibus ante fervierat, ereptus, non confidens de futuris tantum, ad Deum pro auxilio impetrando se convertit, dicens: *Erue me à circumdantibus me.* Quod & de peccatis, & de daemonebus, & de hominibus publicis inimicis intelligi potest. Nam ab his omnibus homo in hac vita circumdatur, ut ad terram pertinetur, & non relinquatur in spirituali illius structura lapis super lapidem. Tot sunt hostes qui nos circumdant, ut cum Job (cap. 19.) dicere possumus. *Obsederunt in gyro tabernaculum meum.* In gyro obsident, quia ab omni parte patent tentationes. Nulla est pars ab hoste libera. Hinc caro cum sua tota illecebrarum militia nos impetit, illinc mundus cum suis hominibus oppugnat, alia ex parte quasi ex alto daemon invadit, & suis astutis subtilissimis mentem perforare nititur, ut ad illam penetrare valeat. Merito ergo quisque tantam hostium multitudinem circumspiciens, Davidem imitatus dicere poterit. (Psal. 3.) *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me.* (Psal. 55.) *Multi insurgunt adversum me.* Multi quidem bellantes ad-

ver-

versum nos. Oppugnamur ab hominibus fere omnibus. Aliqui suo malo exemplo nos oppugnant, nam qui male coram alio agit, illum ad simile agendum non solum alliciat, sed impellit. Alii malis suis verbis nos ad peccatum trahunt: quoniam (ut Apostolus ex Poeta citat 1. Corinth. 15.) *corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Alii peccati occasionem offerunt, & horum major pars, quoniam in hoc genere belli, nulla tuta fides, cum raris sit, qui nobis causam peccati non praestet, & ideo nulli fidendum, praeterquam soli Deo: quoniam solus ille verus & fidelis amicus, reliqui autem omnes, saepissime faciem praetendere videntur amici, re tamen bene (ut decet) perspecta, hostes sunt acerbissimi. Nam hostes sunt vicini, cognati, fratres, parentes, filii. Vicinorum siquidem confuetudo saepe noxia fuit. Fratres invidia vexat; testes sunt Abel & Joseph. (Gen. 4. & 38.) Haec discordiam inter fratres irconciliabilem saepenumero parit, adeo, ut (juxta Aristotelem) fratrum discordia sit omnium acerbissima. Parentes indulgentia nimia filios laedunt: quo fit, ut dum se nimium diligere credunt, filios odiant: quoniam (ut Sapiens ait Prov. 13.) *qui parit virga, odit filium suum.* Quid de filiis loquar? Hi certe sunt plerumque suorum parentum hostes crudeliores, dum illis obsequuntur, & omnibus illorum parent mandatis, quam dum reluctantur. Nam his amatoris venenis parentes suos sic filii dementant, ut sui comites illi non sint, neque aliqui nisi ad filiorum numum agant, nil aliud, quam de filiis cogitent, illos toto corde, tota mente, tota anima diligant, illos veluti Deum adorent. Ut illorum augeant patrimonium, Deum contempnunt. Deum derelinquunt, ut illis magnas congregare valeant divitias, quas illi prodige postea effundunt, aut suis exigentibus demeritis amittunt. Non possunt hostes gravius hostibus nocere, quam filii parentibus suis saepissime nocent. Post hos omnes succedit caro; magno fatellitio variarum cogitationum comitata, & haec eo periculosior est hostis, quo magis domesticus. Minus enim cavetur, & ideo magis potest incautos opprimere. Deinde cum non à foris veniat, sed nobiscum habitat, & intra domum latet, potest continuo sine cessatione nocere. Hic est ille angelus satanae, qui Paulum sine intermissione colaphizabat. (2. Corinth. 12.) Dicitur est autem angelus satanae, quia daemone instigante, saepenumero caro movetur. Nam (ut est apud Job cap. 12.) *halitus ejus prunas ardere facit.* Et quia sine cessatione vexantem tolerabat, ideo ter Dominum rogavit, ut aufereret ab eo. Sunt alii multo & potentiores & callidiores hostes, qui nos undique & quotidie circumdant, semper observantes, quia via nocere possunt. Daemones hi sunt, quorum potentiam Job explicans, (cap. 41.) ait: *Non est potestas, quae comparet ei, qui factus est, ut neminem timeat.* Astutia illorum est tanta, ut sicut bestia ante hominem, sic ante daemone sit astutissimus hominum. Propter hoc enim (ut ego existimo) daemones dicuntur venatores in scriptura sacra: quoniam nos ad illorum astutiam relati, bestiae sumus illorum venationi expositi. *Ipsi liberavit me* (inquit David Psal. 90.) *de laqueo venantium.* Daemones propter illorum in decipiendis & capiendis hominibus astutiam, appellavit venatores, à quorum laqueis, quia se propriis viribus eripi posse non credit, in adiutorio altissimi habitare, conatur, & in protectione Dei caeli commorari. Nam quia suis viribus diffidit, auxilium nunc implorat divinum, dicens: *Exultatio mea eripe me à circumdantibus me.* Nec fide dubia & vacillante petit, sed firmissimam spei anchoram in Deo

figens, de exauditione certissimum Deum orat. Unde alibi ait: (Psal. 20.) *Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me.* Si unus aut alter tantum esset hostis, forsitan cum illo quis manus conferere auderet, sed tam multi sunt, ut stellas caeli, & maris arenas, & pluviae densissimae gattas superare valeant. Deinde cum tam multi sint, non tepidè aut remissè se insequuntur, sed odio iniquo oderunt nos. Quis igitur tantae virtutis erit, ut contra tot talesque hostes infracto animo certare possit? Custodi tu igitur animam meam, & erue me. Nisi enim tu custodieris, frustra vigilabunt omnes qui illam custodire conantur. Tanta autem fiducia hoc à te peto, ut certus sim, quod non erubescant, quoniam speravi in te. Erubescit qui petitionis suae repulsam sustinet. At ego, qui certus sum me impetraturum quod peto, erubescere non timeo, quoniam in te speravi, qui numquam deseris sperantes in te. Deus igitur, qui benignus & misericors est, sic invocanti, & in illo speranti, statim auxiliare copias mittit: quoniam fidelis est, qui non patitur nos tentari supra id quod possumus. Primo quidem omnium Deus peccatorem in tentatione positum confortat, dicens: (Psal. 26.) *Viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Deinde virtute tanta illum ex alto induit, ut contra omnes hostes (quamvis fortissimos & iniquissimos) intrepide ille pugnare possit. Duos è suo exercitu milites fortissimos illi mandat, quorum auxilio munitus, nunquam in certamine quamlibet duro homo succumbere poterit. Timor & amor hi sunt. A dextris protegit amor, à sinistris defendit timor. *Qui timet Deum* (inquit Sapiens Eccl. 7.) *nil negligit.* Fortis re vera bellator est timor Dei, qui omnes negligentias fugam capefere cogit. Longe tamen fortior est illo Dei amor: quoniam fortis est ut mors, ante cuius conspectum nihil est adversae poestitiae quod subsistere possit: quoniam patiens ille est, & benignus, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Hinc Sapiens tyronem Christianum hortatur, ut in certamine positus, his duobus militibus muniatur, sic inquit: (Eccl. 2.) *Filii, accedens ad servitutem Dei, stas in iustitia, & timore, & prepara animam tuam ad tentationem.* In iustitia & timore stare esse praecipit. Caritas est vera iustitia, quia nos justos efficit, & Dei filios. Haec est quae nos stare facit, & accinctos nos efficit ad omne opus bonum. Nescit enim illa locum dare hosti, nunquam succumbere novit. Sed si charitas tam fortis est, & tantam conciliat fiduciam, cur additum est in timore? Si justus est, quid timet? Si non est justus, quomodo stat? Timor iste, qui virum animo tribuit, & ad bellum confortat, non est illi peccatorum timor, quem servi habere solent: quoniam hic magis deicere animum solet, quam erigere. De hoc enim timore ait Salomon: (Prov. 18.) *Pigrum dixit timor.* Hic est ille, quem perfecta charitas mittit foras. (1. Joan. 4.) Optimus innocentiae custos, & iustitiae fidelissimus comes, est timor filiorum, quo sola culpa, & patris offensae timeatur. Qui stat (inquit Apostolus 1. Corinth. 10.) *videat ne cadat.* (Rom. 11.) Et iterum. *Tu autem fide stas, noli alium sapere, sed time.* Hic timor ad bona opera extimulat, & à malis averit & protegit. Hoc timore mucosus erat ille, qui dicebat: (Job. 9.) *Verabar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Et ille, qui non se justificatum credebat, quamvis nihil sibi conscius erat. (1. Corinth. 4.) Qui ab his duobus militibus juvatur, tam fortis est, & tantum hostibus metum inicit, ut à facie ipsius concidant inimici ejus, & in fugam convertantur. Nam hujusmodi athletae

Hh

bus, Deus illis veros predicatores subtrahat, & pseudo-  
prophetas illis permittat, ut qui vera audire contempse-  
runt, mendacia plurimam audiant. Nam cuidam Propheta  
Sancto Dominus ait: (*Eze. 3.*) *Linguae tuam faciam ad-*  
*herere palato tuo, & eris mutus, nec ut vir oburgans eos,*  
*quia domus exasperans est.* Et Paulus Apostolus Thesalo-  
nicensibus scribens, (*2. 2.*) ait: *Eo quod charitatem veri-*  
*tatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittit illis Deus ope-*  
*rationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui*  
*non credunt veritati.* Ex quibus manifeste colligimus, pec-  
catorum multitudinem & obstinationem esse causam, prop-  
ter quam Deus peccatoribus, veritatis doctrinam subtra-  
hat: quoniam indignos illos censet, qui a predicatoribus  
suis doceantur. Veram antequam ad hoc Deus deveniat,  
alia via ad hoc nos docere tentat, & quidem potissima,  
exemplo scilicet suo nos ad virtutem commovens. Unde  
ait: (*Math. 11.*) *Discite a me, quia mitis sum & humilis*  
*corde.* Ut nobis mansuetudinem & humilitatem doceret,  
seipsum nobis in exemplum proponit, ut si ab hominibus  
dicere veremur, ab illo saltem dicere non veremur.  
Discamus ab illo humilitatem qui tam humilis fuit, ut  
non venerit ministrari, sed ministrare, & ponere animam  
suam pro multis. Nam postquam discipulorum suorum pes-  
des laverat, dixit illis: (*Joan. 13.*) *Si ego lavi pedes vestros*  
*Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lavare*  
*pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci*  
*vobis, ita & vos faciatis.* Discite ab illo mansuetudinem,  
quam ille tam mitis & mansuetus fuit, ut cum maledice-  
retur, non maledixit, cum pareretur, numquam fuerit  
minatus, sed tamquam agnus innocens coram tendente se,  
semper obtinuerit. Discite ab illo persecutiones aequo  
animo tolerare: quoniam ipse vobis in exemplum propo-  
suit, dicens: (*Joan. 15.*) *Si mundus vos odit, scitote quia*  
*me priorem vobis odio habuit.* Si inimicos vestros diligere nesci-  
tis, ille vos exemplo suo docuit, qui in cruce posuit,  
pro suis persecutoribus Patrem oravit, dicens: (*Luc. 23.*)  
*Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* In omni  
denique virtutis genere ille primatum tenuit, ut nobis se  
exemplum sine reprehensione praeberet. Propter quod  
recte de illo Michas Prophetavit, (*cap. 2.*) dicens: *Ascen-*  
*dent iter pandens ante eos.* Quis est qui ascendit, nisi qui  
& descendit in inferiores partes terrae? Iesus Christus Do-  
minus noster? Sed hic ascendit pandens iter ante nos.  
(*Act. 17.*) Ipse enim docuit nos veram quietis viam esse,  
labores hic pro Deo susceptos, veram viam laetitiae peren-  
nis, esse lacrymas hic pro Deo effusas. Nam si oportuit  
Christum pati ut sic intraret in gloriam suam, quis est adeo  
demens, ut in his mundi delictis semper versatus, speret  
se intrare in gloriam? Si quis ergo illuc pervenire optat,  
sequatur directorem. Nam Christus pro nobis passus est,  
quia ipsam voluit. Et iterum. *Gressus meos dirige secundum*  
*eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniquitas.* Et hoc  
ipsum est quod sub aliis verbis in hoc Psalmo petit, di-  
cens: (*Psal. 181.*) *Exultatio mea erue me a circumdantibus*  
*me.* Nam ad hoc hostes nos circumdant, ut a recta manda-  
torum Dei via nos divertere faciant. Et propter hanc cau-  
sam Dominus respondet, dicens: *Intellectum tibi dabo, &*  
*instruam te in via hac qua gradieris.* Vel (ut translatio beati  
Hieronymi habet) monstrabo tibi viam, per quam am-  
bules. Sed licet Deus exemplo suo nos doceat viam rec-  
tam, & ipse pandat iter ante nos, ut illius vestigia sequa-

mur, multi tamen sunt, qui illum non sequuntur, quia  
vias illius scire nolunt. Illi enim, Job teste, (*cap. 21.*)  
dicunt Deo: *Scientiam viarum tuarum nolumus.* Vix Domini  
sunt humilitas, paupertas, patientia. Sed has vias ini-  
qui scire nolunt, quia quod facere contemunt, scire de-  
dignantur. Illi siquidem honores appetunt, divitias amant,  
labores recusant, & ideo vias Dei spernunt. Et inde evenit,  
ut scientiam viarum Dei nolint. Sed licet illi recusent,  
Deus tamen, qui nostram omnium salutem summe deside-  
rat, qui omnes nos (ut Apostolus ait *1. Tim. 2.*) vult sal-  
vos fieri, adhuc alia via nos docere tentat. Immittit nam-  
que flagella, ut in illorum percussione, oculi peccatoris ape-  
riantur, quos inter vitia securitas caecaverat. Nam huius-  
modi peccatoribus (ut ait Esaias *cap. 28.*) *sola vexatio dat*  
*intellectum.* Unde Paulus ait: (*Eph. 5.*) *Omne quod arguitur*  
*ad lumen manifestatur.* Quoniam sicut effectus ostendit  
causam, ita poena ostendit nobis culpam, pro qua in-  
fligitur poena. Hoc modo Deus plures docuit hucusque,  
& docebit deinceps, sicut apud Job dicitur: (*cap. 33.*)  
*Aperit aures viro, & erudiens instruit eos disciplina, ut*  
*avertat hominem ab his quae fecit, & liberet eum de superbis,*  
*eruens animam ejus a corruptione, & vitam illius, ut non*  
*transseat in gladium.* Disciplina quippe peccatorum Deus  
erudit, ut agnoscat mala quae fecit, & sic erudiens, eruit  
animam a corruptione, & viam illius, ut non transseat in  
gladium. Prius eruit a corruptione, postea a gladio, quia  
nisi hic liberatus fuerit a peccato, postea non liberabitur a  
supplicio. Nam de culpa transitur ad poenam. Qui autem  
in hoc saeculo liberatur a culpa, non habet quod postmo-  
dum in iudicio formidet sententiae gladium. Ideo flagellis  
prementibus Deus erudit peccatorem, ut prius avertat il-  
lum a corruptione culpae, & postea liberet illum a gladio  
damnationis aeternae. Et Dominus ad Hierusalem per Hie-  
remiam Prophetam (*cap. 6.*) ait: *Erudite Hierusalem, ne*  
*forte recedat anima mea a te.* Quo loco, juxta translatio-  
nem septuaginta, dicitur: *Per omnem dolorem & flagellum*  
*erudietis Hierusalem, ne forte recedat anima mea a te.* Ex  
quibus verbis discimus, quod Deus plagis atque tormen-  
tis affligit peccatorem, ut erudiat illum & corrigat. Qui  
ergo angustiis premitur, ad leniendum dolorem recorder-  
tur huius divini oraculi. Per dolorem & flagellum,  
erudietis Hierusalem. Unde apud Job (*cap. 5.*) dicitur:  
*Beatus homo qui corrigitur a Domino.* Beatus, inquam,  
quoniam ipsa correptio, signum quoddam est futurae bea-  
titudinis certissimum: quoniam (ut ait Paulus *Hebr. 12.*)  
*quem diligit Dominus castigat.* Flagellat autem filium quem  
recipit. Et ipsemet Dominus ait: *Ego quos amo, redarguo*  
*& castigo.* Vere ergo beatus, qui corrigitur a Domino,  
quia hoc argumento Deus se illum diligere declarat. Beau-  
rus est qui flagellatur: quoniam per huiusmodi flagella a  
Deo eruditur, ut vitae praesentis illecebris tamquam noxiis  
& mortiferis relicis, veras delicias & numquam perituras,  
quas Deus in caelo paravit diligentiibus se, toto animo  
perquirat. *Beatus homo quem tu erudieris Domine, & dele-*  
*ge tua doceris eum.* (*Psal. 93.*) Ut mitiges ei a diebus  
malis, donec fodiatur peccatori fovea. Malos dies dixit  
eos, in quibus peccatores opprimunt iustum. Ut autem  
hos dies aequo animo quietes toleret, & mitiores illos sen-  
tiant, Deus erudit illum, & docet, ad veritatem illam non  
esse longo tempore duraturam, peccatorum & tyranno-  
rum potestatem, qua alios opprimere valent, non futuram  
perpetuam, sed aliquando fodiendam esse peccatori fo-  
veam, ut perferat ipse in corpore & in anima sua, quas  
aliis iniuste inultas affliciones. Quia non repellat Domi-

nus plebem suam, & hereditatem suam non derelinquet.  
Quem autem Deus sic erudit, vere is beatus: quoniam cer-  
tam beatitudinis viam tenet, quae est alacris tribulationum  
tolerantia. Sed si beatus est qui a Domino corrigitur, &  
sic ab illo eruditur, merito stultus atque adeo miser cen-  
sebitur, qui Dominum corrigentem arguit, & sic ab illo  
doceri recusat. Ideo Job postquam dixerat eum qui a Do-  
mino corrigitur beatum, subdidit: *Inreproationem ergo Do-*  
*mini ne reprobes.* Nam reprobatione dignus ille erit, qui  
docentem increpare non veretur. Cum ergo afflictiones  
aliquas aut molestias perfers, agnosce Dei doctrinam, qui  
flagellis peccatores erudire consuevit, & noli increpare,  
ne ingratus illi videare; sed age gratias, quod intellectum  
tibi dat, & instruit te in via hac, per quam ambulas. Intel-  
ligere non esse perpetuas huiusmodi afflictiones, sed tempo-  
rarias, quae tandem finientur, & in aeternam requiem, si  
illas aequo animo hic pertuleris, commutabuntur. Omnis  
enim disciplina in praesenti non videtur esse gaudii, sed  
maioris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis  
per eam reddit justitiam. Cum igitur flagellaris, ut alacri  
animo flagella tolles, & sic tibi in salutem animae cedant,  
peccata tua considera, & illorum merita diligenter investi-  
ga, & intelliges quod multo majora merebaris, quam a te  
exigantur, & tunc Deo gratias propter huiusmodi flagella  
ages, quod te per illa erudit, & intellectum dedit, quod  
illo donante tanta tormenta quanta merebaris, tam modice  
flagellis demeritis, & vitam tibi deinde post illa parat  
aeternam, per merita Jesu Christi Domini nostri, qui  
cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in saecula saeculo-  
rum. Amen.

## HOMILIA XVIII.

*Firmabo super te oculos meos.*

Dixerat Deus se docturum viam, per quam David am-  
bulans, se ab hostibus illum circumdantibus pos-  
set eruiere; nunc ostendit quid facturus sit, ut illum plane  
docere valeat. *Firmabo,* inquit, *super te oculos meos.* Qui  
aliquem viam docet, & illum recte discere optat, post-  
quam verbo illum instruxit, & indice viam monstravit,  
intentis illum aspicit oculis, & diligenter observat, an per  
viam, quam illi indicavit, incedat, an ab illa declinet, &  
si illum errare conspiciat, statim admonet illum, & ad rec-  
tam viam revocat. Ad hunc modum Deus cum iis, quos  
ad gloriam destinavit, facit. Nam illis (ut proximo sermone  
diximus) verbo & exemplo viam caelestis patriae indi-  
cavit, dicens: (*Deuter. 17.*) *Via regia gradiemini, neque*  
*declinabitis ad dexteram neque ad sinistram.* Via regia, est  
charitas, qua Rex ille regum Dei filius de caelo venit ad  
terram. Haec via lata est: quoniam (ut ait Propheta *Psal.*  
*118.*) *latum mandatum tuum nimis.* Lata quidem via quae  
omnes amplectitur, neminem excludit, quam amicis &  
inimicis patet charitas. Haec est via rectissima, quam via  
mandatorum Dei recte ad vitam aeternam perducit. *Si vis*  
*ad vitam ingredi* (inquit Saluator *Math. 19.*) *serva man-*  
*data.* At qui Deum diligit, juxta ejusdem Salvatoris nostri  
sententiam, (*Joan. 14.*) *sermones illius servat.* Rectissima  
ergo via ad vitam est charitas, & dilectio Dei super omnia.  
Ab hac via ad dexteram declinat, quisquis prosperis alli-  
cenciis & sollicitudinibus, ab amore Dei separatur. Qui  
autem adversis prementibus & urgentibus a mandatis Dei  
recedit, is ad sinistram a via regia declinat. Inter illa si-  
quidem, quae a rectitudine deflectunt, prospera dexteram

partem, adversa vero sinistram tenent. Non est ergo decli-  
nandum ad dexteram neque ad sinistram, quia neque prof-  
pera huius mundi, neque adversa ab amore Dei nos sepa-  
rare debent. Via regia gradietur qui dicebat: (*Rom. 8.*)  
*Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia,*  
*an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gla-*  
*dus? Et paucis interjectis, subdit: Certus sum enim, quia*  
*neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus,*  
*neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitu-*  
*do, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia po-*  
*terit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu Do-*  
*mino nostro.* Via certe regia gradietur, quem neque prof-  
pera neque adversa poterant a Dei charitate separare. Haec  
est via, ambulare in ea. Hanc viam Christus verbo &  
exemplo nos docuit. Sed quia praedestinatorum speciale  
curam gerit, ideo attentius illos considerat, & illorum  
gressus advertit, ut si illos aberrare contigerit (contingit  
autem saepe) ad rectam viam revocet. Testis huius rei est  
Job, qui de Deo loquens, (*cap. 31.*) ait: *Ipsi consideravit*  
*vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat.* Viarum no-  
mine, actiones designantur, de quibus per Hieremiam  
Prophetam (*cap. 7.*) dicitur: *Bonas facite vias vestras.*  
Per gressus vero, motus affectionum intelligimus: quon-  
iam gressus sunt quidam motus pedum, cum unus post  
alterum movetur. Constat autem, quod pedum nomine,  
affectus animae intelligantur, quo fit, ut gressus animae di-  
cantur, cum actiones animae sibi invicem succedunt. Ex  
amore enim filiorum, procedit ad amorem divitarum,  
inde ad amorem deliciarum, inde transitur ad inanis glo-  
riae appetitum, & cetera deinceps. Haec affectuum successio-  
nes, juxta meam sententiam, merito gressus animae dici  
possunt. Considerat Deus omnes vias nostras, & cunctos  
gressus nostros dinumerat, quia non solum opera observat,  
sed minutissimas etiam quasque cogitationes dinumerat,  
ut de omnibus admoneat, & si admomentem illum non au-  
dimus, de omnibus illis rationem a nobis in iudicio requi-  
rat. Vias Job consideravit Deus attentius, ut si forte ille  
a recta via vel parum deflexisset, Deus illum erudiens, ad  
rectam viam revocaret. Et hoc est quod nunc Davidem al-  
loquens, ait: *Firmabo super te oculos meos:* ut videlicet,  
ego considerem gressus tuos, quia via incedas, an viam  
quam te docui teneas, an non. Si te aberrare videro, non  
te permittam in errore perseverare, sed iterum instruem te  
in via hac qua gradieris, ut ab hostibus circumdantibus te  
possis hanc vitam viam liber pertransire. Sed id quod ait  
*firmabo super te oculos meos,* humano more loquutus est.  
Non enim Deus corporeus est, ut membra habeat, quem-  
admodum homo, sicut de illo monachi quidam imperiti  
in Aegypto senserunt, qui Deum corporeum imaginaban-  
tur; at Deum humana membra habere credebant, propterea  
quod multa corporis membra sacra illi tribuit scriptura,  
ut hic oculus, alibi aures, lingua, manus, pedes, caput  
& reliqua corporis membra. Quae omnia cum illi juxtam  
solum literae corticem intelligerent, putarunt Deum esse  
corpus aliquid his omnibus membris ornatum. Qui ita  
senserunt, Anthropomorphitae, hoc hanc causam dicitur fuisse  
quoniam anthropos graece, latine dicitur homo. Absit ta-  
men longissime a fidelium cordibus haec insana imaginatio,  
ut Deum corporeum credamus: quoniam (ut veritas  
apud Joannem *cap. 4.* ait) *Spiritus est Deus.* Et ipsamet  
veritas apud Lucam (*cap. 24.*) iterum ait: *Spiritus carnis*  
*& ossa non habet.* Quo fit, ut quae membra Deo sacra tri-  
buit scriptura, juxta mysticam illorum significationem sine  
accipienda, & non juxta litteram, ita ut nomine illius

promissiones illæ dantur, quibus Deus ait: (*Levit. 26.*) *Persequimini inimicos vestros, & corrent coram vobis. Persequentur quinque de vobis centum alienos, & centum de vobis decem millia, cadent inimici in conspectu vestro gladio.* Et alibi iterum. (*Deuter. 32.*) *Unus ex vobis pugnabit pro mille, & duo ex vobis fugabunt decem millia.* Hos milites (ut credi par est) in sui adiutorio David habebat, cum tam viriliter loquebatur. (*Psal. 3.*) *Non timebo, inquit, militia populi circumdantis me.* Sed quia hos fortissimos milites à Deo sibi in adiutorium datos optime intelligebat, inde omnem huius certaminis gloriam Deo tribuebat, in illo, quicquid ingrueret, spem suam collocabat. Unde ait (*Psal. 117.*) *Si Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Si parum tibi hoc videtur, audi majus. *Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos. Si exurgant adversum me castra, non timebit cor meum. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Non quod nullus, sed quia tam parum proficiet, ac si nullus esset.* Nam interrogatio illa, quemdam hostium contemptum designare videtur. Hac igitur fiducia David ad Deum confugit, & illius implorat auxilium, dicens: *Exultatio mea erue me à circumdantibus me.* Tu igitur si à dæmonum incursum mundi & carnis illecebri liberari optas, noli tuis fidere viribus, noli de tua virtute præsumere; sed confuge ad Deum, illius implora auxilium, qui neminem ad se fugientem eiecit, & sic protegeris ab omnibus circumdantibus te, qui in tartara decedere te conabantur, ut sine ullo offendiculo possis intrare in gloriam æternam per merita Jesu Christi Domini nostri, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA XVII.

*Intellectum tibi dabo, & instruem te in via hac, qua gradieris.*

UNUM & magnum divinæ pietatis indicium est, quod nunquam hominum clamoribus, qui illum interpellant, fatigatur, sed potius illis delectatur, quod vel hoc argumento persuaderi potest, quod nunquam nostris clamoribus aures suæ misericordiæ obstruit, sed potius eas semper patentes esse vult, semper exaudiens nos, si in vera fide nihil hæsitantes, clamamus ad illum. Nunquam Deus alicui, qui suum imploraverit auxilium, seipsum denegat, sed continuo fert opem, non patiens illum tentari supra id quod potest. Neque longas sustinet moras in subventionem, sed prope est semper omnibus invocantibus eum, atque adeo prope, ut (quemadmodum ipse per Etsiam Prophetam *cap. 65.* ait) *antegnam clament, ipse exaudiet.* Huius rei testis fidelissimus est David, qui accepta à Deo beneficia agnoscens, & prædicans, ait: (*Psal. 3.*) *Vocem meam ad Dominum clamavi, & exaudivit me de monte sancto suo.* Et iterum. (*Psal. 4.*) *Cum invocarem, exaudivit me Deus iustitiæ meæ.* Et rursum. (*Psal. 119.*) *Ad Dominum cum tribularetur clamavi, & exaudivit me.* Hoc etiam in præsentiarum experiri possumus. Nam cum in præcedentibus versibus ad Dominum clamasset, illius implorans auxilium, ut illius ope & favore posset ab hostibus suis liberari, nunc in præsentem versu divinum accepit responsum, sic dicens: *Intellectum tibi dabo, & instruem te in via hac qua gradieris.* Nam hæc vox persona Dei Davidi respondens dicta esse constat. Nec vacat mysterio, quod decimus hic versus sit, quo David meruit divinum accipere responsum. Per hoc enim docemur tunc nos petita

facile à Deo impetrare, cum decalogum observantes, à Deo quod cupimus, postulamus. Nam qui mandatis suis obtemperat, nunquam novit Dominus illius postulatis abnuere. Et ob hanc causam David cum per novem versus orasset, in decimo est exauditus. Quod autem ait: *intellectum tibi dabo:* aperte indicat, intellectum esse summe necessarium, ut quis se à dæmone & vitis eripere possit. Sed numquid David carebat intellectu? Nonne homo erat? Cur ergo quasi aliquid novum se daturum illi Deus promittit dicens: *intellectum tibi dabo?* Habet quidem intellectum peccator, hoc est, vim & potentiam intellectivam: quoniam in ipsis etiam dæmonibus (ut divinus Dionysius ait) naturalia manserunt integra. Verum & si intellectiva peccatoris potentia sit integra, est tamen adeo depravata, ut raro bene sentiat, & (prout oportet) iudicet. Nam bona sæpe dicit mala, & mala dicit bona, quæ magna sunt & immensa, velut parva contemnit. Contra etiam quæ vilia sunt & parva, tamquam magnæ sint æstimationis suspicit & miratur. Quæ enim à nobis longissime absunt, etiam si valde magnæ sint dimensionis, parva iudicare solemus, quæ autem prope sunt, iudicantur, majora. Peccator quia longe est à Deo, longe est ab illius gloria; ideo omnia, quæ Deus paravit diligentibus se, pro nihilo habet, temporalia autem hæc & caduca, quæ hominem ducunt ad interitum, quoniam illa diligit, & illis toto adhæret affectu, magna esse cenfer. Voluntas etiam cum cæca sit, obstat, ut intellectus recte non intelligat, quia pulvis rerum temporalium, quem voluntas ob oculos intellectus spargit, illum recte videre, & de rebus iudicare non sinit. Et propter hanc causam peccator, cum à via veritatis aberrare cepit, ad rectam viam, nisi à Deo revocetur, redire non poterit, sed eo longius progredietur, quo se rectam tenere viam magis credit. Est enim peccatoris Spiritus vadens, & non rediens. (*Psal. 17.*) Recedere à Deo potuit, redire ad illum non poterit. Nam quamvis novissima viæ per quam gradiur peccator, ducant ad mortem, illi tamen via recta videtur. Et hinc evenit, ut ab illa nunquam recedat, nisi Deus illum rectam doceat viam. Quam cum ingressus fuerit, nisi Deo comitate, & semper docente, ad finem usque viæ pervenire non poterit: quoniam semper illo direttore & doctore nobis est opus. Et ob hanc causam David alibi, dicebat: (*Psal. 17.*) *Deus meus illuminat tenebras meas: quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum: id est, omne virtutis impedimentum.* Et in alio Psalmo ait: (*Psal. 81.*) *Da mihi intellectum, & scrutabor mandata tua, & custodiam illa in toto corde meo.* Nullus recte potest dici mandata custodire, nisi illa intellexerit. Nullus autem potest illa intelligere, nisi à Deo fuerit edoctus, quod Propheta agnoscens, alibi ait: (*Psal. 142.*) *Docere me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Nullus ergo de seipso præsumat, credens se posse Dei mandata cognoscere, cum Propheta David petat de illis à Deo doceri, dicens: *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua.* Hoc quippe sine auxilio divinæ inspirationis nemo assequi potest, sed in omnibus divina est exoranda clementia, ut cordibus nostris Spiritum infundat, cuius unctio doceat nos de omnibus, & sciamus quæ sit voluntas Dei bona benepalens & perfecta. Prius ergo intelligenda est via mandatorum, & deinde per illam ambulandum. Nam qui recte Dei mandata intelligit, non solum non deterretur à via mandatorum illius, sed ultro gaudens & exultans, per illam sine offendiculo curret. Est enim via illa plana: quoniam mandata Dei (ut beatus Joannes ait *1. Joan. 5.*) *gravata non sunt.* Et ipsamet veri-

tas ait: (*Matth. 11.*) *Iugum meum suave est, & onus meum leve.* Et Propheta postquam mandata Dei intellexerat, dixit: *Omnia mandata tua aquitas.* At, quod æquum & iustum est, licet in limine viæ asperum videatur, mox tamen cum primos aditus qui pertransierit, leve & suave iudicabit.

*Nam via virtutis dextrum petit ardua callem, Difficilem quod aditum primum spectantibus offert, Sed requiem præbet seorsim in virtute summo.* (*Virgilius.*)

Qui ergo à via mandatorum Dei aberrat, illa non intelligit: quoniam si intellexisset, ab illis nunquam declinasset. Ut igitur David viam virtutis, quam per penitentiam fuerat ingressus, non desereret, intellectum se illa daturum Deus promittit, dicens: *Intellectum tibi dabo, & instruem te in via hac qua gradieris.* Intellectum quidem, hoc est, intelligentiam earum rerum, quæ ad vitam æternam acquirendam sunt necessaria. Non autem intellectum, id est, vim intellectivam: quoniam hanc etiam peccator habebat. Quapropter beatus Hieronymus, ut amphibologiam vitaret, transulit. *Docebo te.* Docet nos Deus, quam malæ sint illecebæ & venenosæ, quam noxiæ divitiæ, quam fugaces honores & vani, ut horum omnium vanitate & malitia perfecta, ab illis abstinemus. Nam si peccati nimis horrendam turpitudinem & incommoda, quæ ex illo oriuntur, quod intellexerit, fieri non potest, ut ab illo non resiliat. Hinc est quod Dominus ad Hieremiam Prophetam loquens (*cap. 2.*) ait: *Arguet te malitia tua, & avertio tua increpabit te.* Ipsa enim peccata arguunt peccatores quæ cum tam noxia sint, illis tamen adhærere, & extensis (ut ajunt) ulnis illa amplecti peccatores non videntur. Cum horum malitiam plene intelligit peccator, confunditur, & erubescit, rem tam malam, tamque noxiam fuisse amplexatum. Et ex hac confusione oritur plena peccatoris conversio. Nam ex Basan, quod interpretatur confusio, Deus convertit peccatorem in profundum maris, hoc est, acerbissimum peccati dolorem. Et tantum aliquando convertit, ut peccator ipse sanguinem pro Deo effundere non reformidet. Docet etiam nos Deus virtutis bonitatem, suavitatem mandatorum Dei, præmia magna, quæ diligentibus se præparavit, docet nos quam leve & momentaneum est quod patimur, quam magnum & sempiternum quod speramus, ut his agnitis, viam virtutis, quam semel ingressi sumus, non deseramus, sed illam usque ad mortem teneamus. Ut autem hoc plene nos doceat, nullam viam intentatam relinquit. Nam docet nos interna inspiratione, docet exemplo, docet verberibus. Docet quidem interna inspiratione, cum intus infundit notitiam eorum quæ oportet. Nam (ut est apud Job *cap. 32.*) *inspiratio omnipotentis dat intelligentiam.* Sic docuit Prophetas omnes. Sic docuit Apostolos in die Pentecostes, sicut ipse ante promiserat, dicens: (*Joan. 14.*) *Paracletus autem, Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixerit vobis.* Hoc modo plures alios Deus docere solet, sed doctrinam illius non nisi illos, qui à terrenis cogitationibus sunt separati, discunt. Daniel enim non nisi post trium hebdomadarum jejunium, & longam orationem, multa intellexit. (*Dan. 10.*) Apostoli postquam fuerant in jejuniis & oratione perseverantes, Spiritum Sanctum doctorem susceperunt. (*Act. 2.*) Hinc Ezechielii Prophetæ Dominus ait: (*cap. 3.*) *Egrederet in caprum, & ibi loquar tecum.* Quia non nisi illi, qui à tumultibus hujus mundi

separatur, loquitur Dominus ad cor. Hinc Eliphaz Temanites apud Job (*cap. 3.*) ait: *Porro dictum est ad me verbum absconditum.* Quando autem hoc verbum audierit, expressit subiungens: *In horrore visionis nocturna, quando sopor solet occupare homines.* Verbum absconditum est Sancti Spiritus interna locutio, quæ absconditum verbum ideo dicitur, quia non palam fit, sed intus in corde, intus sentitur, sed extra non auditur. Hoc verbum nobis Dominus secreto loquitur, quando nos docet hæc caduca & vana contemnere, & pro æterna gloria suspirare. Hoc verbum audit quisquis locutionem Sancti Spiritus concipit. Quia vero non omnes hanc locutionem audiunt omni tempore, ideo tempus opportuorum huic locutioni indicavit, sic inquit. *Quando solet sopor occupare homines.* Soporis nomine, interna quies anima designatur, qua anima ipsa à terrenorum amore & cogitatione se subtrahit, ut Deo liberius vacare possit. Ita dormiebat sponsa, cum de illa sponsus ad adolescentulas in canticis loquebatur. *Adjuro vos* (inquit *Cant. 2.*) *filia Hierusalem, ne suscitatis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Anima contemplationi dedita, & à terrenis tumultibus remota, non est ad illos advocanda, quousque ipsa velit. Volentem ipsa, quoties necessitas urgebit. Quando hic sopor, id est interna quies, mentem occupat, tunc homo Deum interius loquentem audit; quia nunquam mens nostra doctrinam Dei interius nos docentis intelligit, nisi prius à terrenis se cogitationibus avertat. Omnibus enim ipse loquitur ad cor, & omnes de credendis & agendis instruat fatagit, non tamen omnes illum loquentem audiunt, aut illum docentem intelligunt, quia tumultus variarum terrenarum cogitationum, quæ in illorum mentibus perstrepunt, impedit, ne Dei locutionem audiant. Docet nos etiam Deus locutione exteriori, cum per se, aut per Doctores suos, quos ad hoc officium sæpe mittit, varietatem nobis manifestat. Docuit Judæos, & in illis nos omnes verbo in humanitate assumpta illis veritatem annuntians. Docuerat antea per Prophetas. *Nam locutus est Dominus per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum ejus.* (*Luc. 1.*) Docuit postea nos omnes per Apostolos. Docet quotidie per veros sui verbi prædicatores. Nam his omnibus Dominus ait: (*Mat. 10.*) *Non estis vos qui loquimini, sed spiritus patris vestri quæ loquitur in vobis.* Et cuidam Prophetæ Dominus dixit: (*Hier. 15.*) *Si separaveris spiritum à vili, quasi os meum eris.* Propter quod Dominus se sperni existimat, cum prædicator vera populo annuntians, spernitur. (*Luc. 10.*) Hinc Moyses Propheta à Deo missus populo contra illum murmuranti, dicit: (*Exod. 16.*) *Nos enim quid iustum? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Loquebatur siquidem in Moysse fuerat, & propterea murmur, quod contra se factum duceret, adversus Deum fuisse factum non immerito censebat. Sed multi sunt, qui à prædicatoribus doceri nolunt, quia illi conformia suæ prævæ voluntati non docent. Hi sunt illi, de quibus Dominus per Etsiam Prophetam (*cap. 30.*) ait: *Populus enim, ad iracundiam provocans est, & filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus, nolite videre, & aspicientibus, nolite aspiceret nobis ea quæ recta sunt, loquimini nobis placencia, videte nobis errores.* Alii autem intantum obduerunt, ut non solum doctrinam recusent, sed docentibus minentur. Et hi certe peiores Herode hæc ratione censendi sunt. Nam ille moruebat Joannem prædicantem, & audito eo, multa faciebat. (*Marc. 6.*) Multi tamen sunt, qui prædicatore audito, non timent, sed magis ab illo timere volunt. Unde evenit ut eorum meritis exigentibus

membri, virtus illa intelligatur in Deo, quæ principaliter in illo membro vigere solet. Ut gratia exempli. Cum audis caput, intellige influxum talem Deo in omnes homines & Angelos, ut sine illo consistere nequeant: quoniam caput in reliqua corporis membra insuit. Cum audis manus & brachia, virtutem illius operativam intellige, qua omnia hæc visibilia operatus est. Nam manibus solemus operari, & ideo Propheta illum alloquens, ait: (Psal. 118.) *Manus tuas fecerunt me.* Aurium nomine virtus Dei auditiva significatur: quoniam nihil tam conclusio murmure, aut secreto susurro dicitur, quod à Deo non audiat. Propter quod Sapiens ait: (cap. 1.) *Auris cæli audit omnia, & tumultus murmurationum non absconditur.* Linguae nomine, sui secreti manifestatio designatur. Nam ad hoc data est nobis lingua, ut per illam, nostros aliis manifestemus cogitatus, quos illi videre non possunt. Tunc ergo Deus nobis loqui dicitur, cum suam nobis manifestat voluntatem, aut alia secreta revelat. Ad eundem modum reliqua omnia corporis membra, quæ Deo sacra tribuit scriptura, sunt interpretanda. Cum ergo oculos Dei audimus, non membra aliqua cogitare debemus, sed illius acutissimam intelligentiam, quæ omnia sic novit, ut nihil sit tam reconditum, quod illum latere possit. Propter quod Paulus de illo ait: (Hebr. 4.) *In conspectu eius nulla creatura invisibilis est, sed omnia nuda & aperta sunt oculis eius.* Et in Ecclesiastico. (cap. 28.) *Oculi Domini multo plus lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum.* Oculi ergo Domini sunt acutissima illius intelligentia, qua omnia cognoscit. Verum quia quos gratos habemus & diligimus, illos libenter respicimus, hinc est, quod oculi Domini aliquando pro illius erga nos miseratione accipi solent. Unde in (Psal. 32.) Propheta ait: *Oculi Domini super venientes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.* Oculos suos super hos intendere Dominus dicitur, quoniam hos speciali quodam affectu diligit, & illorum miseretur. Nam idem est quod alibi dicitur: (Psal. 146.) *Quoniam beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.* Quia enim beneplaciti sunt Domino, ideo oculos suæ miserationis Deus in illos intendit. Et de misericordia omnibus hominibus exhibita loquens, (Psal. 32.) ait: *De cælo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum.* Omnes vidit, quoniam omnium misertus est. Quaaliter autem miseris sit, subjungens expressit: *De preparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram.* Habitaculum divinitatis, est humanitas Christi: quoniam in illa complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare. (Colo. 1.) Hoc autem habitaculum præparatum fuit in ventre Virginis, quando virtute Spiritus Sancti tale fuit factum, quale tam immensæ majestati conveniebat, videlicet sanctum sine peccato, & mirabile in æquitate. De hoc preparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram: quoniam pro omnibus nobis mortuus est. Tunc enim omnes respexit, quia tunc omnibus suam exhibuit misericordiam. Et ut omnes de isto preparato habitaculo respicere posset, fenestras in eodem habitaculo fieri voluit, quando corpus suum percipientibus tradidit, in quo quinque foramina facta sunt. Per has enim fenestras omne genus hominum respexit: quoniam moriens, omnium hominum misertus est. Per fenestras inferiores respexit illos, qui in inferno erant, quos (juxta Zachariæ viciniū cap. 9.) *in sanguine testamenti sui eduxit vivos qui erant in lacu.* Per fenestras duas superiores, hoc est per vulnera manuum, respexit illos, qui erant super faciem terræ. Per fenestram aliam, quæ scilicet erat in latere, res-

pexit eos, qui venturi erant usque ad finem mundi. Nam hi soli Deo sunt noti sub secreto servati. At, quæ secreta sunt, in corde residere dicuntur. Illuc sic respicientem considerabat sponsa, cum dicebat: (Cant. 11.) *En ipse stat post parietem, respiciens per fenestras.* Sunt tamen, heu, nimium multi, qui misericordia sibi à Deo exhibita uti nolunt. Nam Deo respicienti nos de preparato habitaculo suo, parietem peccatorum suorum obijciunt, quo minus ab illo possint misericordiam oculis videre. Fit itaque, ut cum Deus illorum misereri cupiat, illi Dei misericordiam rejiciant. Hinc est, quod in magnifico illo Salomonis Templo, quod (Christo ipso attestante Joan. 3.) figura est corporis illius, fenestris illis, qui passionis suæ meritum proficere voluerunt. Ille enim pro omnibus illis mortuus est, qui Deo patri suo servire voluerint, & se illius passione juvare. Et si omnes viam virtutis cepissent, omnibus Christi passio proficisset, quia de preparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram. At pauci sunt, qui per viam mandatorum Dei volunt accedere; pauci, qui per angustam portam velint intrare. Ab interiori ergo parte templi latiores sunt fenestras, quam ab exteriori; quia latissima fuit misericors Christi voluntas, pauci tamen sunt, qui hanc misericordiam suscipiunt: quoniam suis peccatis, velut pariete quodam interposito, obstant, ne à Deo videantur. Nam juxta hunc videndi modum sicut justos videt, ita peccatores non respicit. Quod in duobus illis primis fratribus Abel & Cain aperte perspicere possumus. (Gen. 4.) Abel siquidem, qui justus erat & Deo gratus, respexit: Cain vero peccatorem, & Deo ingratum, ille non respexit. Illius munera benevolens animo & hilari vultu suscepit Deus, hujus autem munera dedignatus est. Ob hanc causam in (Psal. 118.) David precatur Dominum, dicens: *Aspice in me, & miserere mei, secundum judicium diligentium nomen tuum.* Judicium, quod fiet diligentibus nomen Domini, est, quod vocabuntur ad percipiendum regnum, quod illis paratum erat ab origine mundi. Juxta hunc modum sibi misericordiam David præstari petit. Et quia hæc misericordia à Dei benigno aspectu procedit, ideo præmisit: *Aspice in me.* Nam quos ille benignis aspexit oculis, etiam si in peccatis mortui fuerint, vivere faciet. Basiliscus quia venenum ex oculis mittit, quos aspexit, interfecit. Contra Deus, quia vivifici ex suis oculis procedunt radii, à morte ad vitam quos aspexit, revocat. Mortuus erat Petrus, cum magistrum & redemptorem suum dejectans negavit, sed hunc Dominus respiciens, revocavit ad vitam: quoniam cum Dominus Petrum respexit, ille statim peccatum agnoscens: *egressus est foras, & flexit amare.* (Luc. 22.) Unde Salomon ait: (Prov. 20.) *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Quia cum Deus nos gratia sua respicere dignatur, omnia in nobis dissipat peccata. Postquam autem jam est à morte ad vitam revocatus, & viam virtutis est ingressus, si Deus illum inrentis aspexit oculis, suam illi gratiam semper conferens, numquam ille à via veritatis recedet: quoniam Deus suo gratifico aspectu illum in bono firmat, ut amplius lethaliter peccare non sinat, propter quod in (Psal. 36.) David ait: *Iustus cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Peccare quidem sinatur ad veniam, sed non ad mortem, & ideo cum cadit, non colliditur. Ne autem quisquam hujus rei gloriam sibi arroget, causam propter quam non collidetur, subjungit: *Quia Do-*

Dominus (inquit) supponit manum suam. Et hoc est quod nunc in presenti versiculo Davidi promittit, inquit: *Firmabo super te oculos meos.* Erraverat David sicut ovis quæ perit, sicut ipse de se testatur, (Psal. 118.) *sed Dominus illius misertus, illum revocavit ad rectam virtutis viam.* Docuit illum quam mala via graderetur. Docuit (inquam) per Prophetam suum Narhan, docuit ipsemet inspiratione, docuit illum disciplina & flagellis, quæ illi Dei nomine minatus est. Et tunc adeo fuit edoctus, ut ipsemet sententiam adversus se dixerit, se dignum morte, & viam mortis fuisse ingressum. Et hæc præcipua causa fuit, quæ illum præteritam viam deserere coegit. *Cogitavi* (inquit ille Psal. 118.) *vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua.* Inde conversus, quia viarum suarum malitiam plene cognovit. A via itaque peccatorum divertens, & viam mandatorum Dei ingressus, ne hæc iterum deferat, Deus promittit se illi oculis suis consulturum, sic inquit: *Firmabo super te oculos meos.* Non dixit aspiciam te, aut injiciam in te oculos meos, sed dixit: *Firmabo super te oculos meos:* ut specialem & diligentem illius curam se habiturum promitteret. Nam quem Deus sic aspicit, à recta virtutis via declinare non sinit. Unde Job (cap. 24.) ait: *Ipse enim fines mundi intuetur, & omnia quæ sub cælo sunt, respicit, qui fecit ventis pondus.* Ventos scimus tam mobiles esse, ut vix stare possint, sed huc atque illuc sine cessatione moveantur, quod inde venire est manifestum, quod levissimæ sunt nature: quoniam quæ gravia sunt, non tam facile moventur. Ventorum ergo nomine, inconstantia mentis merito significatur. Sunt aliqui tam inconstantis ingenii, ut vix ad horam in eodem proposito persistere sciant, fugiunt enim sicut umbra, & nunquam in eodem statu permanent, modo amant, statim odiunt, quæ nunc odierunt, ad momentum diligunt. Nunc læti, mox tristes, qui nunc cæli, brevissimo temporis spatio in lætiam resolvuntur. Viri quidem non (ut in proverbio dicitur) multarum horarum, sed nec plurium momentorum. Hi certe quasi venti mobiles sunt. Qui autem constantes sunt, & à bono proposito non facile recedunt, hi graves dicuntur: quoniam quod grave est, non facile vagatur. Ventis ergo pondus facit Deus, cum alicui grave cordis consilium tribuit, per quod omnem inconstantiam expellat, & in bono proposito semel cepto persistat. Sed quia hæc mentis constantia habetur per respectum gratiæ divinæ, ideo antequam diceret Deum tribuere pondus ventis, præmisit illum fines mundi intueri, & omnia quæ sub cælo sunt respicere. Quo verborum ordine indicavit Job, quod cum leves motus animi misericorditer Deus dignatur aspiciere, tunc statim ad constantiam gravitate illos componit. Si quod ergo bonum in nobis est, omne illud à divino aspectu oritur. Nam suo aspectu peccatorem ad malæ suæ vitæ penitudinem convertit. *Qui respicit terram* (ait de illo Propheta Psal. 10.) *& facit eam tremere.* Suo aspectu hominem in bono firmat. Suo aspectu hominem à dæmonis potestate liberat. *Respexit enim Dominus super filios Israel, & liberavit eos.* (Exod. 2.) Suo aspectu nos facit beatos, cum tantum nobis exhibet misericordiam, ut seipsum nobis aperte & clare absque ulla cognitionis obscuritate ostendere dignetur. Postquam in fornace tribulationis quasi aurum probavit justos, & quasi holocausti hostiam accepit eos, in tempore mox futuro erit respectus illorum. (Sapi. 3.) Hæc omnia in figura filii Israel olim uno verborum contextu Dominus innuavit. Nam de terra promissionis Dominus per Moysen ad filios Israel loquens, hæc ait: (Deut. 11.) *Terra ad quam ingredieris possidenda, non est sicut terra*

*Ægypti de qua existi, ubi jacto semine, in hortorum more aqua ducuntur irrigua, sed montosa est, atque campestris, de cælo expectans pluviam, quam Dominus Deus tuus semper invisit, & oculi ejus in ea sunt à principio anni usque ad finem ejus.* Tertia promissionis, quæ iusto in hac vita possidenda promittitur (omitto alterius vitæ promissiones, quæ multo majores sunt) anima sua est. Nam de hac dicitur: (Matth. 5.) *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Quæ verba alibi ipsa veritas exposuit, dicens: (Luc. 11.) *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Hæc autem possessio quanti æstimanda sit, ipse Salvator noster & magister nos docuit, dicens: (Matth. 19.) *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiat? Ab hac terra peregrinantur omnes, qui carnis illecebras sectantur, & æternæ patriæ felicitatem nondum intelligunt. Hi enim non in anima sua, sed in carne habitant. Et de his Apostolus loquitur, cum ait: (Rom. 8.) *Qui in carne sua sunt, Deo placare non possunt.* Contra vero de justis dicitur: *Vos non in carne estis, sed in spiritu.* Nam qui carnis delicias fugiunt, & ab illis omnino se subtrahunt, in anima sua habitant, illam diligenter explorant, & quotidie mundant, ut illam dignam Deo mansionem præparent. Terra ergo, ad quam nos Deus possidendam introducit, non est sicut terra Ægypti. Carnis habitatio, per terram Ægypti figuratur, sicut habitatio, animæ, per terram promissionis. In terra Ægypti jacto semine in hortorum more aqua ducuntur irrigua. Sic etiam qui in carne seminant corruptionem, sub Pharaonis, hoc est, diaboli imperio vitam degentes, terrena tantum gaudia noscunt, nec nisi de terrena voluptate consolationem accipiunt, nunquam celestis pluvia recreantur, & ideo non nisi terrenos fructus, id est, corruptionem (juxta Apostoli sententiam Galat. 6.) metunt. Terra promissionis, non est sicut terra Ægypti: quoniam illa de cælo expectat pluviam, justus enim, qui carnis illecebras spernit, qui à mundi voluptatibus recedit, nullam ex hoc mundo quærit consolationem, sed cum Propheta Davide canit: (Psal. 76.) *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delictatus sum.* Non habet consolationem in multis divitiis: quoniam scit, quod cum ex hoc mundo exierit, nihil secum aufert. Non in delitiis carnis: quoniam & si prima illarum facies dulcis appareat, scit, quod in fine mordet ut coluber, & tanquam regulus venena diffundit. Non consolationem in gaudiis mundi: quoniam gaudium hypocritis, id est mundi, ad instar puncti. (Job. 20.) Extrema enim gaudii lætus occupat. Non consolatur in honoribus: quoniam periculosos illos cenet, & ab illis cadere formidat, quia quo major est eorum altitudo, eo periculosior est casus. Non consolatur in filiorum multitudine, quia quo plures habet filios, eo majores & plures pro illis nutriendis curas sustinere oportet. Nulla denique in rebus hujus mundi consolationem recipit, ideo ait: *Renuit consolari anima mea.* Non est enim hæc terra, anima videlicet justi, sicut terra Ægypti, quæ à terra suam suscipit aquam qua irrigetur, sed de cælo expectans pluviam, quia omnem suam consolationem expectat à Deo. Ideo David postquam omnem hujus mundi consolationem rejecit, subdidit: *Memor fui Dei, & delictatus sum.* In nullo alio quam in Deo consolationem recipit, de sola spiritali Dei visitatione lætatur. Sola gloria sua est testimonium conscientie suæ. Hæc terra montosa est, quia anima justi aliquando ad alta ascendit per Dei contemplationem, aliquando ad profunda descendit. Aliquando in altum se tollit, pro desiderio celestis patriæ suspirans, aliquando ad ima se dejicit, ex re-*

cordatione suorum peccatorum plorans. Et sic ascensiones disponit in corde suo in valle lachrymarum, ( *Psal. 83.* ) ut aliquando a creaturis ad Deum ascendat aliquando a Deo ad proximorum curam descendat. Terra ergo montosa est anima iusti, in qua cum altitudine meritorum connectitur vallis humilitatis. Terra inquam, montosa, non plana sicut terra Aegypti. Unde autem illa terra habeat hanc consolationis affluentiam, aperte declaratur, per id quod subditur. Quam Dominus Deus tuus semper invisit, & oculi ejus in ea sunt a principio anni usque ad finem ejus. Dominus Deus hanc terram, hoc est animam iusti, semper invisit, ut cum Sancto Job ( *cap. 10.* ) iustus quisque dicere valeat: *Visitatio tua custodivit spiritum meum. Oculi ejus in ea sunt, ut suo aspectu illi prosit, quemadmodum nunc ipse Deus Davidi ait: Firmabo super te oculos meos. Sed quia tanta est iusto ab oculis Dei utilitas, ideo nunquam Deus oculos suos avertit ab illo, cui semper consulere decrevit. Et ob hanc causam dicit, quod oculi Dei in illa terra sunt a principio anni usque ad finem ejus, quia a principio sanctae conversionis, qua iustus ab Aegypto peccati exit, usque ad suae vitae finem, semper iustus divina gratia juvatur, ut qui cepit edificare, usque ad consummationem opus suum perducat, & cum Apostolo dicere merito possit. ( *2. Corinth. 4.* ) Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. Cum ergo tantum nobis ex divino aspectu proveniat emolumentum, ut oculi ejus veluti perennes quidam fontes sint, & quibus omne datum optimum, & omne donum perfectum jugiter scaturit, precemur Deum, ut super nos oculos suos firmet, ut non leviter, sed intentis in nos oculis dignetur aspicere. Oremus illum, ut aspiat nos, ut miseretur nostrum. Aspiat inquam non secundum iudicium eorum, qui erunt ad finem illius, eo quod terribile & sanctum nomen illius contemperunt, sed secundum iudicium quod fiet diligentibus nomen illius. Nam si ille benignis oculis dignatus nos fuerit aspicere, & si in peccatis fuerimus obdurati, statim haud dubio omnium nostrum corda emollientur. Si a via mandatorum Dei erraverimus, illico ad rectam viam reducemur, ut illo ducente & comitante, veram possimus assequi beatitudinem per meritum Jesu Christi Domini nostri, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in saecula saeculorum. Amen.*

HOMILIA XIX.

*Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.*

**D**OCTOR cui multos docere incumbit, sic cuiuslibet illorum specialem curam gerere debet, ut quoties unumquemlibet illorum docet, aut monet, aut corrigit, in eo ipso omnibus prospiciat, & in illo omnes docere velit. Nam quod uni illorum dicit, sic dicere illum oportet, ut omnes ad se dictum putent. Sed quia aliqui tam rudes sunt, ut ex his quae aliis dicuntur nunquam proficiant, propterea quod quae aliis dicuntur, non intelligunt ad se pertinere, nisi fuerint sibi ipsis dicta, ideo qui omnibus consulere optat, postquam unum aliquem est allocutus, & illum abunde instruxit, ad omnes se venire consuevit, ut per ea quae ad unum dicta fuerant, omnes commonefaciat. Nam operosum nimis esset, & aliquando fere impossibile omnes singillatim docere. Sic etiam Deus, qui supremus est omnium doctor, omnem habens scientiam, omnia prospiciens, cum unum docet, omnes ejusdem conditionis homines doceri vult, & cum aliquem peccatorem redar-

guit, omnes alios, qui similibus peccatis sunt obvoluti, vult esse reprehensos, & si aliquem propter admissum scelus punit, illius periculo alios ad cautelam monet. Christus enim, qui Dei est sapientia, monuit discipulos suos, ut in die mortis & iudicii essent parati, ne forte Dominus repenti veniens, inveniret illos dormientes, & indignos, qui in caelestes & aeternas transferrentur mansiones. Verum ne quis haec ad solos Apostolos dicta opinaretur, subdidit: ( *Matth. 13.* ) *Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Ad hunc modum in praesentiarum factum esse cenfeo. Nam proxime superiori versu Deus Davidem alloquens, dixerat: *Intellectum tibi dabo, & instruum te in via hac qua gradieris.* In quibus verbis ( ut diximus ) docuit illum Deum intellectum esse summe necessarium, ut diaboli versutias evadere possimus, & tandem aeternam assequi beatitudinem. Nunc vero ne quis forte haec ad solum Davidem, non etiam ad se & omnes alios dicta credens, per illa minime erudiretur, ad omnes se vertit, illos omnes adhortans, & ait: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Quibus verbis Gnosticoorum & Machichaeorum, imprimis, insana sententia proferuntur. Hi enim ( ut Philaster in suo libello de haeresibus illis tribuit ) docuerunt omnia bruta animalia aequae ut hominem intelligere & discernere, & reliquis omnibus rationis partibus esse praedita. Hanc tunc sententiam Propheta testimonium apertissime damnat, cum Dei nomine loquens, ait: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Si equo & mulo non est intellectus, consequens est, ut non omnia bruta intelligant. Et propter hanc causam qui ratione minime reguntur, quales, heu, nimirum multi sunt, bestiis similes esse sacra clamat scriptura quia hoc solos bestias omnes superamus, quod intellectu praediti sumus, quo illi carent. *Homo enim quia cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similibus factus est illis.* ( *Psal. 48.* ) Ob hanc quidem causam Paulus loquens de peccatoribus, quorum cor insipientem obsecratum est, ait: ( *Rom. 1.* ) *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, quadrupedum, & serpentum.* Et merito peccatores omnes, praesertim qui carni suae serviunt, bestiis comparantur: quoniam illae post concupiscentias suas, effrenate & impotentes currunt, eo quod ratione carent, qua se ipsas cohibere possint. Et homines voluptuosi suae carnis motus cohibere nesciunt, sed illam, quocumque concupiscentia iulerit, omni repagulo sublato, effrenam currere sinunt. Nec solum bestiis pares fiunt peccatores, sed plerumque adeo a ratione discedunt, ut multo sint ipsis bestiis inferiores. Nam multo majori diligentia delictibus perquirunt, tenacius illis adherent, difficiliter ab illis separantur, quam bestiae, minus quae sibi sunt utilia aut noxia agnoscent, quam illae, minus quae sibi sunt proficua curant, minus a noxiis abstant. Singula haec suo ordine percurramus, & quo res sit apertior, varias corporis delectationes per varia illarum genera partiamur. Praecipuae corporis delectationes ( ut de aliis interim taceam ) quadam a gustu, quadam a tactu generantur. In his eodem cohibendis praecipue versatur temperantia. Quae a gustu oriuntur, singulo cuique homini quodammodo necessariae sunt, propterea quod sine cibo & potu nullus homo diu consistere potest. At, quae a tactu oriuntur, & venerae dicuntur, naturales quidem, sed non necessariae censentur: quoniam & si ad illas natura sollicita, bene tunc absque illis singulus quisque usque ad finem vitae quamlibet etiam longae perseverare valet. In cohibitione autem harum omnium delectationum, & tempe-

raro illarum usu, bestiae multis calculis homines antecellunt. Si enim de cibo & potu agamus, constat bestias omnes semper ad necessitatem solum, & non ad voluptatem cibum & potum sumere. Non enim nisi fame urgente edant, nec citra sitim bibunt. Si fames omnis abest, quamlibet suavi pabulo illis ostento, nunquam ad vescendum allicientur. Si nulla sitis adit, nunquam coges illas ad potum, tantum abest, ut libentes bibant. Adde quod unumquodque animalium, uno tantum contentum est cibo, & unicuique eorum cibum unus natura convenit, his quidem herba, illis autem radix vel fructus, aliis autem bestias, caro. Verum haec ad alias relatae paucissimae sunt, & ob hoc ab aliis distinctae sunt & turpi appellatione notatae, ut carnivora dicantur. Homo autem, quia magis voluptate quam necessitate ducitur, non uno unquam contentus fuit cibo. Nam si ad humani generis incunabula intellectum revoces, agnosces, non fuisse homini factis omne aliud paradysi lignum, sed de ligno scientiae boni & mali ( quod solum illi veritum fuerat *Gen. 3.* ) suo & omnium nostrum malo edere voluit, quod & fecit. Et inde in omnes malum hoc derivatum est, ut vix homini alicui sit satis cibum, sed feratur ad omnia, omnia experiantur, omnia gustet, & solus ex omnibus animantibus omnium vorator sit factus. Nam ut suis variis & inordinatis appetitibus homo satisfaciat, plurimum animalium ingulationibus utitur. Non enim ( ut ferre ) a pluribus abstinet, aut paucis propter solum victus necessitatem bellum inferit, sed prope in omne ferarum genus sevit, quam neque volatilis, neque aquatilis, neque terrestre mensa hominum jam fugere potest. Quid de famis irritamentis commoremur? Nam ciborum condimentis utuntur, ut illis famem irritare possint. Haec autem adeo sunt multa, ut nimis operosum sit eorum omnium catalogum texere. De hac re sunt artifices multi & periti in hac arte, homines qui varios quotidie excogitant ciborum ornatus, ut hominis gulam & voracitatem augere valeant. Et qui peritiores in hac arte sunt, in pretio apud homines habentur, & magna ab illis mercede conducuntur. Ut autem ars haec, quae malorum chiliadem docet, non pereat, & qui nesciunt discernere possint, libri non parvi nec pauci a variis de hac re editi sunt. At bestiae nulla arte sibi cibos parant, sed illis solis vescuntur, quos illis paravit natura, nulla perquirunt condimenta, quibus ad ciborum appetitum allici possint, sed sola fame cibum sumunt: quoniam non ad voluptatem ( ut saepe homines faciunt ) sed ad solam necessitatem comedunt. Unde apertissime constat bestias multo temperatiores esse, quam homines. Deinde morborum varia genera, quibus homines afficiuntur, hominis voracitatem indicant, & arguunt. Nam inde multis & diuturnis implicantur morbis, quia plusquam decet repleti, corpora sua spiritibus variis, & perniciosius venofitibus inflant. Plura enim morborum genera in solo homine reperies, quam in omnibus fere animantibus: quoniam omnibus illis voracior est. Et propter hanc ipsam voracitatem ( ut arbitror ) Deus homini ciborum plurimum cognitionem abstulit, ut vel sic a pluribus cibis, quorum vim & virtutem ignorabat, revocaret. Quis enim nisi voracissimus aut gulae deditissimus, citra urgentissimam famem cibos edere auderet, quos sciat nondum esse probatos? Multi tunc sunt homines, qui etiam cum cibos non agnoscant, sola dulcedine capti, ne dicam allecti, illos edere non reformidant. Unde sapientissime evenit ut nocentissima quaeque pro salutaribus comedentes, mortem sibi ipsis propinent. Et quo magis sit miseranda vel potius detestanda hominum ingluvies, cibos,

quos etiam sibi nocituros certissime credunt, edere non verentur. Quis tunc hoc de bestiis aut legit, aut audivit unquam? Non enim tam ignorantes illas fecit natura, ut quae illis sunt noxia, non agnoscant, neque illarum tam effrenatos habent appetitus, ut quae sibi sunt incommoda non devitent. Habent enim miram quandam & instam ( natura illas docente ) earum rerum cognitionem, quae ad victum, robur, venationem, custodiamque spectant. Sciunt enim optime cibos, qui illis conveniant, quo tempore prodesse possent, quo etiam obesse. Cum autem quae sibi sunt noxia perferunt, ab illis continentissime abstinent, adeo, ut etiam si verberibus & cruciatibus urgeas, nunquam ut noxiis vescantur, cogere possis. Si vero incaute noxium aliquid comederint, unaquaque ferarum sibi ipsi medendi perita est. Nam testudines postquam viperam comederunt, organo velut antidoto pasci novunt. Creticas capras sagitta percussas dictamum perquirere fertur, ut illo gustato, spicula statim e corporibus excidat. Canes etiam herbas agnoscent, quibus gustatis, statim si quid noxium comederunt, evomunt, aliaque id genus sunt multa. Homo autem, etiam cum aegrotaverit, sibi mederi nescit, nisi arte per longam experientiam quaesita juvetur. Cum itaque luce clarius sit manifestum homines esse bestiis inferiores in cohibendo frangendoque appetitu earum delectationum, quae a gusto oriuntur, superest, ut etiam hoc ipsum ostendamus evenire in illis delectationibus, quae per tactum eveniunt, quae venerae dicuntur. Sed ut ostendamus, non longa opus est oratione, cum tam innumera & tam frequentia sint effrenatae & luxuriosae libidinis testimonia, quibus se feris inferiores esse multi homines ostendunt, ut me pudeat enarrare, quod illos non pudeat facere. Nam bruta fere omnia praefixum aliquod anni tempus habent ad coeundum, quo adveniente, illorum libido excitatur, illo vero transacto, statim venus extinguitur. Si illorum femina conceperit, neque illa sequitur marem, ut ad coitum pelliceat, neque mas illam sollicitat. Unde conjicere licet, ad solam generationem illorum venem exciari. At homines, qui non solum generandi necessitatem, sed ad voluptatem libidines appetunt, nullum certum anni tempus ad coeundum habent, sed omni tempore, omni mense, omni die, omni hora coire appetunt. Femina post conceptionem magis est coitus appetens, quam ante, vir illam non minus quam ante sollicitat. Si defessa, aut fere emortua fuerit illorum venus, mirum quantum illam medicamentis juvare conantur, ut etiam repugnante natura, veneri indulgere possint. Praeterea hic varios libidinis stimulos, variaeque libidinis incitamenta, quibus se invicem viri & feminae ad libidinem concitant, & decipiunt. Nam feminae ornatae & compositae velut similitudo templi, mille in illis fucorum species, quibus pulchritudinem, quam illis natura negavit, mentiri possint. Sed neque feminae solum petulantia & luxurioso vestimentorum ornata utuntur, sed viri etiam sunt jam hac peste adeo corrupti, ut multi illorum majorem diligentiam circa vestimentorum ornatum adhibeant, quam feminae quamlibet curiose, & delicate. Quae omnia non alio tendunt, quam ut invicem placeant, & se mutuo ad libidinem concitent. Nihil autem tale in brutis reperies. Neque enim feminae se ornant, aut fucis se alias esse mentiuntur, aut libidini deceptions & incitamenta praetendunt, neque mares veneris concitati stimulis, mercede aut praebitis coitum mercantur, neque variis pigmentorum odoribus se unguunt, ut se invicem ad libidinem extimentent, sed propriis odoribus se invicem alliciunt, & virentem herbam, nitidamque rorem



multos ad virtutem reducit. *Prosperitas stultorum* (inquit Sapiens Prov. 1.) *perdet illos*. Perdit, inquam, stultos prosperitas, quia omnia illa, sine quibus recte illi consistere nequeunt, ab illis auferit. Auferit enim cognitionem sui, & Dei cognitionem sui ipsius impedit prosperitas, quia etiam ad cognitionem sui ipsius opus est experimento. Quid enim quisque possit, nisi tentando, non didicit. Nam quantum ad paupertatem tolerandam sibi sit animus, nemo scire potest, si divitiæ semper affluunt. Non potest scire quantum adversus ignominiam & infamiam odiumque populare constantiæ habeat, si inter plausus consensit, si illum inexpugnabilis & perpetuus favor sequitur. Non potest scire quam æquo animo laturus sit orbitatem filiorum, si quoscumque sustulit filios, videt. Non potest scire quantum ad calamitates alias tolerandas valeat, si nihil unquam asperum & difficile passus est. Multi sunt boni stimulatorum, pauci aratores. Multi alios in magna aliqua calamitate libenter consolantur, qui tamen minimum incommodum passi, consolantem audire nolunt. Quia enim nunquam fuerat gravia & aspera experti, facile putabant calamitates omnes sub jugum mittere, & quoscumque terrores contemnerent. Hinc illa (ut censo) filiorum Zebedæi facilis atque adeo stulta confidentia, qui calicem, quem Dominus bibiturus erat, quem ob nimiam illius amaritudinem & Dominus ipse bibere reformidavit, se posse bibere censerunt. (*Matth. 20.*) Huic etiam errori proximus fuit Petrus, (*Luc. 22.*) cum se potius mortem laturum, quam Christum negare, spondit. Expertes siquidem malorum illi tunc erant, ac proinde illis se posse facile imperare credebant. Quid autem possent, tunc didicerunt, cum instante mortis periculo, fugam capessere non fuerunt omnes veriti. Gubernator in tempestate agnoscitur, in duro certamine miles. Nemo ergo illum, cui prospera semper blandiuntur, cognoscere potest, nec ille sese. At qui se non agnoscit, Deum etiam non agnoscere est necesse. Nam qui se, quem semper foris videt, & cum quo perpetuam habet consuetudinem non intelligit, Deum qui (ut divinus psaltes ait *Psal. 17.*) *posuit tenebras latibulum suum*, quomodo intelligere valebit? Nimius siquidem ille prosperitatis splendor ob oculos effusus, sic toros ipsos occupat mentis oculos, ut vix quicquam aliud præter ipsam felicitatem homo conspiciere possit. Quo fit, ut nec Dei, immo nec sui etiam recordetur, quoniam omni studio, & tota intentione in ipsam prosperitatem fertur. Rursum qui Deum non agnoscit, non illum (ut dicit) veneratur. Neque intra hos malitiæ limites se continet prosperitas, sed liberius vagata, ultra progredi conatur. Nam qui prosperis gaudet, Deo subditi, & illius obedire mandatis negligit. Quem enim quis non cognoscit ut Dominum, facile est ut illius iussa contemnat. Vir vanus (ut est in libro *Job. cap. 11.*) in superbiam erigitur, & quasi pullum onagri se liberum natum putat. Vanus est quisquis transitoria hæc cogitat & amat, quisquis in illis tota intentione firmatur. Si stultus est quisquis stultis & amentibus jungitur, & cum illis perpetuam habet consuetudinem, vanus etiam eodem jure censetur, quisquis rebus caducis, quæ omnia, teste Salomone, (*Eccle. 1.*) vana sunt, vehementer adheret. Et hujusmodi vanus vir in superbiam erigitur, quia prosperitas sic illius animum effert, ut nemine se inferiore putet, nemini nec etiam Deo, se subditi velit, sed sibi ipsi placere studens, divini timoris jugum à se excutit, & quasi in malorum perpetratioe jam liber, quicquid voluptas suggerit, implere contendit. Propter quod recte de illo subditur. *Et quasi pul-*

*lum onagri se liberum natum putat*. Pullo onagri similem dixit, effrenato videlicet animali & vago, ut pessimam illius & effrenatam ad malum offenderet libertatem. Onager siquidem asinus est sylvestris & indomitus, qui, sicut & omne aliud agreste animal, Domino obedire nescit, sed quocumque naturæ motus impellit, vadit. Quasi pullum onagri se liberum natum vir vanus putat, quasi divinis mandatis obedire negligens, per sylvam desideriorum vagus & liber, absque ullis disciplinæ locis currere non cessat. Si autem hujus effrenatæ libertatis originem querat, profecto ipsam prosperitatem invenies: quoniam hæc omne obedientiæ jugum excutit, & Domino aliquid præcipienti recalcitrat. Nam populus ille Israeliticus à Deo dilectus, postquam affluentia rerum temporalium increffatus, impinguatus, & dilatatus fuit, recalcitravit, & dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo. (*Deuter. 32.*) Ipsa enim crassitudo & pinguedo, vires illi & animum ad recalcitrandum præbuit. Merito igitur Sapiens dixit: (*Prover. 1.*) *Prosperitas stultorum perdet illos*. Nonne perditus est, qui relinquit Deum factorem suum, & recedit à Deo salutari suo? Ecce (inquit Propheta in *Psal. 72.*) *qui elongat se à te, peribunt*. Perditus est qui Deum monentem non audit, qui illius mandatis obedire contemnit. Talis est, quisquis nimia prosperitate delectatur: quoniam hic velut equus aut mulus increffatus, & laboribus minime assuetus recalcitrat. Perdit ergo prosperitas stultus, quia ad peccatum illum ducit, & in peccato detinet & ligat, & ab illis per penitentiam recedere non sinit, quousque illos in infernum detradat. Cum enim primos prosperitatis aditus conspiciunt, videtur illis via pulchra, & sequuntur eam, quousque in novissimis illius inveniunt mortem. Nam (ut est apud *Job cap. 21.*) *gaudent ad sonitum tympani, & ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*. Numquam viam suam deserunt, quia falsa prosperitatis dulcedine capti, detinentur. Sæpe enim viatoribus contingit, ut cum amœna fortasse in itinere prata conspexerint, à cepti itineris rectitudine declinent, & pergenti moras innectant, quoniam eorum gressus detinet pulchritudo itineris dum delectat. Ob hanc causam Deus electis suis ad se pergentibus, asperum iter facit, ne hujus vitæ amenitate delectati, ad Deum, quem concupiscunt, ire tardentur. Tribulationes illis mittit, ut sic, omni sublata mora, ad patriam festinare compellant. Nam tribulatio & angustia oculos aperit, & ingenium acuat: quoniam mala quæ nocent, docent. Quo fit, ut stultus, quem prospera haberem & obtulam reddiderant, tribulationibus succedentibus, sapere incipiat. *Stultitia* (inquit Sapiens *Prover. 22.*) *colligata est in corde pueri, sed virga disciplinæ effugabit eam*. Tunc incipit cognoscere quam vana fuerant illa & caduca, quibus tota intentione adhererat, quippe quæ tam cito perierint, & diu consistere non poterint. Tunc agnoscit illa esse nimium fragilia & impotentia, quæ non valuerint illum à tali angustia liberare. Tunc divitiis nihil esse dicit, quod non possint illum à morte, immo neque à corporis multis cruciatibus liberare, non ab ignominia & dedecore, non à contumelia, non à filiorum orbitate, non ab ignorantia. *Quid prodest stulto* (inquit Salomon *Prov. 17.*) *habere divitias, cum sapientiam emere non possit?* Tunc sese cognoscere incipit, suam intelligens miseriam, fragilitatem, inconstantiam, impotentiam, ignorantiam. Tunc Deum agnoscit, & cuncta in illius manu posita esse considerat, omnia ab illo pendere, ita ut nec solum arboris absque illius nutu moveatur, in-

telligit. Quæ prius habuerat, ab illo data esse, & nunc suis exigentibus meritis, illo eodem volente, ablata esse cognoscit. Et si oculos suos, quos prius à Deo averterat, illos in terram declinans, tribulatione urgente, à terrenis his & transitoriis rebus elevans, ad Deum convertit. Canibus & suis hic mos est, cum esuriunt, Dominum inspicere, si forte quid, quod edere possint, ex illius manibus deciderit. Et si quid illis proicitur, tunc à Domino oculos avertant, & in ipsum cibum tota intentione vertuntur. Cum autem totum devoraverunt cibum, tunc iterum oculos suos ad Dominum convertunt. Sic multi sunt canibus similes, qui rebus his transitoriis affluentes, Dei obliviscuntur, hinc autem deficientibus, tribulatione coacti, ad Deum vertuntur, illius implorant misericordiam, qua antea se egere non putabant. Cum Deum Deique immensam bonitatem contemplantur, & se suumque miserum statum agnoscunt, vident se longissime à Deo abesse, ac proinde longe à salute se esse intelligunt. Suum errorem sentiant, & à vera virtutis via se declinasse considerant, & inde evenit, ut veteris vitæ penitentes, aliam & meliorem statuam incipere vitam, divinis mandatis deinceps obedire proponant, quæ prius prosperitatis elati, contemnebant. Jam non se quasi pullum onagri liberos natos putant, sed cum Davide Propheta Deum alloquentes, dicunt: (*Psal. 72.*) *Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum*. Cum igitur magnam hanc tribulationis vim & potentiam David agnosceret, quippe qui suo ipsius periculo diceret, peccatores plurimos, qui felicitatibus terrenis seducti, à Deo recesserant, tribulationibus urgentibus posse ad Deum converti, Deum ipsum precatur, ut peccatoribus, qui facti sunt velut equus & mulus quibus non est intellectus, adversitates immittat, ut vexatio sola illis det intellectum, & sic à malorum perpetratioe coerceantur. Sic enim ait: *In chamo & frano maxillas eorum confringe, qui non approximant ad te*. Quibus verbis David precatur, Deum, ut variis adversitatibus peccatores à pessimis illorum viis recedere cogat. Sicut enim his duobus instrumentis, quasi quibusdam retinaculis jumenta arbitrio se subdant, sic etiam per asperas tribulationes Deus peccatores retinet, ne post concupiscentias suas eant, sed Domini & Dei sui subdantur imperio. Quod enim frenum est equo & chamus mulo, hoc est homini tribulatio. Nam hæc sæpe peccatores coercent, ne se voluptatibus subdant, illos sæpe à vitis, quibus antea serviebant, avocant, & avertit. Et ob hanc causam benignus Deus, tot peccatoribus mittit tribulationes, ut illos sic à via mala ad rectam virtutis viam revocet. Aliquando terræ sterilitatem mittit, aliquando morbos inducit & pestem, aliquando opprobria infert & contumelias, nunc filiorum orbitatem, nunc bonorum omnium temporalium iacturam. Quæ omnia elementissimas Deus ideo facit, ut tentet, & viam inveniat, qua peccatores, qui ab illo recesserant, commodius ad se convertere possint. Hoc enim experimur in equis, ut non omnes eodem regantur freno, nam alius aliud exigit frenum, ut commodè gubernari valeat. Sunt enim aliqui tam effrenati & impotentés, ut si semel currere ceperint, sistere nesciant, & quamlibet durius lora comprimant, retinere illos non possint. Hi duro & aspero indigent freno, ut sessor illos ad suum possit regere nutum. Deus etiam qui, cum sapientissimus ipse sit, omnium hominum mores & ingenia cognoscit, ut illos sibi subiciat, & domitos reddat, non omnibus eadem infert tribulationes, sed quædam multo magis, quædam vero levius.

nem, sed illam, qua melius & commodius illos possit suæ subjicere voluntati. Quos enim novit terrenis lucris sic inhiare, ut rerum ecclestiarum sint profus immemores, hos totius fundi calamitate percudit, ut agnoscat vana esse & caduca, quæ tam cito perire, ut vel sic ab illorum immoderato amore cohæbantur. Alios, filiorum orbitate ad se revocat Deus, quod optime noverit filios esse, qui paternæ salutis maxime obstant. Sunt alii, qui carnis curam in desideriis suis maxima cum sollicitudine agunt, quorum *Deus venter est*, & gloria eorum in confusione, quid dicant semper. Venite fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tamquam in juventute celeriter. Vino prætiolo & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. (*Philip. 3.*) Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertineat luxuria nostra. (*Sapi. 2.*) Hos variis corporis morbis laborare cogit, hunc febris ardoribus vehementibus, nunc acerbis & vix tolerabili captis dolore, nunc celeritima peste, nunc acuta pleuritide, ut his & similibus morbis correpti, discant, non esse tantam curam huic mortali & misero corpori impendendam, sed Deo suo, à quo quicquid boni habent, esse diligentiam servandum. Sunt tamen aliqui tam effrenati & indomiti, qui post suas concupiscentias tam immoderate abeunt, ut multis tribulationibus percussus, ab illis non revocentur, tam tenaciter suis adherent voluptatibus, tam mordicus illas tenent, & nodo herculano cum illis sic copulantur, ut non nisi gladiis possint divelli. Hi durissimo indigent freno, acerbissimam illis Deus sæpe infert calamitatem, ut sic à delitiis, post quas præcipites & impotentes feruntur, utcumque coerceantur. Unde convincitur, multum peccatores debere Deo, & maximo beneficio esse illi obligatos, cum illis præbet adversa, cum duris tribulationibus illos pungit. Hoc enim argumento nobis ille persuadet, nostram se maxime optare salutem. Nam (ut est in libro 2. Machabæorum *cap. 4.*) non finire hominibus ex sententia agere, magni beneficii est indicium. Magnum quippe beneficium est, hominem continere, ne se subdat peccato. Retinetur autem tribulatione tamquam freno: magnum ergo beneficium tribulatio. Verum multi sunt Deo ingratiissimi, qui tantum beneficium non agnoscunt, Deo tribulationes mittenti maledicunt: Deum benefactorem blasphemant, illum velut injustum accusant, tantum abest, ut pro tam immenso beneficio grates illi, quas maxime meretur, reddere velint. Et hinc evenit, ut illorum impia maledictio & pessima ingratitude exacerbatus Deus, illos hoc privet largissimo beneficio, & tribulationem auferat, qua velut freno poterant à peccato coerceri, quo evenire est necesse, ut quocumque illos carnis impetus tulerit, eant. Dimisit eos (inquit ille *Psal. 80.*) secundum desideria cordis eorum. Tunc illos dimittit, cum non cohibet malos voluntatis motus. Tunc dimittit illos, cum ab illis tribulationis frenum tollit. Ut autem intelligas quam malum sit suis desideriis à Deo dimitti, considera obsecro, quid postquam à Deo dimittitur, agant, & quo tendant. *Ibunt* (inquit) *in adinventionibus suis*. Adinventiones nostræ nostræ sunt peccata. Quid enim aliud humana infirmitas & humana ingenia invenire possent, nisi peccatum? Nam virtutes, non sunt adinventiones nostræ, sed Dei. Ille enim est fons & origo bonorum omnium, à quo bona cuncta procedunt. Ille viam vitæ adinvenit, ille modum excogitavit, suam scilicet passionem, qua nullus alius congruentior modus inveniri potuit, per quam nos à dæmonis potestate redemir, & ab inferno